

05

A

711





Ἐν τῷ Πνεύματι ἁγίῳ

Exercitationum Theologicarum
DISPUTATIO V.

Qua

Quartum Problema, idque

DE VERA ET ÆTER-

NA DEITATE SPIRITUS SANCTI,

truinâ SPIRITUS SANCTI piè

ac placidè ponderandum exhibetur,

Privato τῶν συνθεολογούντων Collegio in illustri Acade-
demia V Vitebergensi

à

IOHANNNE FÖRSTERO,

SS. Th. D. & Prof. Publ.

Autore & Praside,

Nec non à

M. IOHANNNE SCHROTERO FREI-
burgensi Thuringo

Respondente

Ad 4. Septembris.

*Iohan. 15. ὅταν δ' ἔλθῃ παρακλητος, ὃν ἐγὼ πέμψω ὑμῖν πα-
ρὰ τοῦ Πατρὸς τὸ Πνεῦμα τῆς ἀληθείας, ὃ παρὰ τῶν Πατρῶν ἐκ-
πορεύεται, ἐκεῖνος μαρτυρήσῃ περὶ ἐμοῦ.*

W I T E B E R G Æ

Typis Cratonianis, per Joh. Gorman., Anno 1608.



*Reverendo & Excellentissimo Theologo, pietate,
Eruditione & Autoritate
praestantissimo,*

Dn. D. FRIDERICO BALDUINO,
in Academia VVitebergensi P. P.
Superintendenti vigilan-
tissimo:

*Praeptori & Promotori suo pie & re-
verenter colendo:*

Nec non

*Clarissimo, Consultissimo & integerrimo
VIRO,*

Dn. IOHANNI SEUSSIO,
Supremi Synedrij Elect. Sax. Secre-
tario dignissimo:

Fautori ac Patrono suo devotè suspiciendo

Exercitium hoc Theologicum

offert

M. Johannes Schrôter Freiburgen-
sis Thuringus.



05 A 77



Problema.

An SPIRITUS SANCTUS sit persona
per se subsistens, eaq; distincta, & an æquè ut
PATER & FILIUS verè & essentialiter DEUS.

I.

Prologus Disputationis.

I. THESIS.



RES sunt personæ Sacrosan-
dæ atque individua Trinitatis, eæque
certo quodam ordine invicem divin-
itæ.

II.

Hunc verò definire nostri non est
est arbitrij: verùm ipsamet Scriptura or-
dinem illum nobis dilucidè monstrat.

Matth. 28, vers 19. & 1. Ioh. 5, 2.

III.

Ibi enim primò PATER, secundò FILIUS vel ó Aó-
yó, tertio SPIRITUS SANCTUS recensetur.

IV.

Ratio ordinis hæc est. Quia FILIUS gignitur & mit-
titur à PATRE: certum est, PATREM esse ordine pri-
orem FILIO, adeoque personam Divinitatis primam.

A 2

Item,

V.

Item, quoniam SPIRITUS SANCTUS ab utroque procedit & mittitur; FILIUS sanè prior est SPIRITU SANCTO, & proindè persona DEITATIS *secunda*. SPIRITUS autem SANCTUS utroque posterior, & sic persona *tertia, ordine*.

VI.

Ordine dico, & non tempore. Hujus enim respectum omnem ineffabilis illa DEI *æternitas* penitissimè secludit. Ibi enim unum τὸ ὕψ ἀδελφείτων.

VII.

Nec dignitate vel majestate. Etsi enim PATRI, quia est ἀρχὴ καὶ ἀναρχος, vel πρῶτα θεότης: *principatus originis adscribitur*: non tamen ratione majestatis aut gloriæ ullum inter ipsum, & reliquas duas personas, est discrimen.

VIII.

Sed *qualis PATER, talis FILIUS, talis SPIRITUS SANCTUS*.

IX.

Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius (tempore & dignitate) nihil majus aut minus: sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales, inquit Athanasius in Symbolo.

X.

Etsi verò hæc sunt ἀμεταμέτρητος καὶ ἀναμφισβήτητος *verissima, certissima*: tamen hostis ille DEI ἀποστόλου Satanas, *utriusq;* tum FILII, tum SPIRITUS SANCTI *Deitatem* convellere & labefacere aggressus est.

XI.

Æternæ DEITATIS FILII DEI secundæ personæ Trinitatis defensionem suscepimus Disputatione ab hac secundâ contra novos Photinianos, jam ut pro DEITATE æternæ SPIRITUS SANCTI militemus, eorundem furor ac rabies nos impellit.

XII.

Complectetur autem hæc *διόνοσις* capita V. *methodo nobis usitata.*

In

- In I. Prædelibabitur πρόγνωσις terminorum.
 In II. Formabitur status controversiæ.
 In III. Argumenta vera sententiæ proferentur.
 In IV. Argumenta contra falsam opinionem proponentur.
 In V. Sophismata adversæ partis diluentur.

Veni SANCTE SPIRITVS, & emitte cœlitus
 lucis tuæ radium, Amen!

CAPUT I.

De Terminis.

XIII.

Rectissime Scaliger: Oportet primò ipsius vocis usum
 cognoscere, à quo sæpenumerò provehimur in rei percepti-
 onem.

Exerc. 1. sect. 1.

XIV.

Ὄνομα γὰρ ὄργανον διδασκαλικὸν καὶ διακριτικὸν τῆς ἐσίας, ὡσπερ
 κερκὶς ὑφάσματος.

Plato in Cratilo.

XV.

Vox autem vel Nomen, cuius πρόγνωσις prælibanda, po-
 tissimum est τὸ Spiritus.

XVI.

Est enim ex numero τῶν πολλαχῶς λεγομένων.

XVII.

Generales ejus significationes duæ sunt: Alte com-
 plectitur Spiritus creatus: altera Spiritum Creatorem.

XVIII.

Spiritus creati vel sunt accidentales, ut (a) motus vel
 impetus hominum: vel substantiales.

(a) Psalm. 76, 13. Prov. 17, 22. Es. 19, 14.

A. 3

Hi iterum

XIX.

Hi iterum vel sunt φῆγοι, ut (b) halitus & (c) venti:
vel ἀφῆγοι.

(b) Gen. 6, 17. cap. 7, 15. Job. 6, 4. cap. 9, 18. cap. 10, 11.
cap. 17, 1. cap. 34, 14. Psalm. 78, 39. Es. 2, 22.

(c) Gen. 8, 1. Exod. 15, 10. 1. Reg. 19, 11. Iohan. 3, 8. Act.
2, 2. &c.

XX.

Ἄφῆγοι vicissim in duplici sunt differentia. Quidam
sunt ἐνώματοι, ut (d) anima: Quidam ἀνώματοι, ut (e) Ange-
li, tum boni, tum mali.

(d) Num. 16, 22. cap. 27, 16. Job. 12, 10. cap. 20, 3. cap.
32, 8. Psalm. 31, 6. 146, 4. Matth. 27, 15. Act. 7, 59.
1. Cor. 5, 5. Iac. 2, 26.

(e) Job. 4, 15. Act. 23, 9. Heb. 1, 14. Lev. 20, 27. Iud. 9,
23. 1. Sam. 16. vers. 14, 15, 16, 23. Luc. 4, 36. cap. 70, 20.
cap. 11, 24, 26.

XXI.

De SPIRITU autem Creatore vocabulum istud bifas-
ciam quoque accipitur.

XXII.

Ac 1. quidem ἁνωδῶς ἢ κοινῶς de essentia Divina Iohan.
4, 24. 2. ὑποστατικῶς καὶ ἰδιῶς de tertia Trinitatis persona.

XXIII.

Ac sanè iterum vel cum tropo vel absq; tropo.

XXIV.

Cum tropo, per metonymiam efficientis, pro charis-
matis SPIRITUS SANCTI. Quo sensu mentio fit se-
ptem Spirituum DEI.

Apoc. 1, 4. cap. 3, 1.

XXV.

Ponitur n. (ut hoc παραφραστικῶς inseratur) numerus
certus

certus pro incerto, per Synecdochen, ad imitationem *Esaiæ* cap. 11, 2. ubi septem tituli vel epitheta SPIRITUI SANCTO tribuuntur.

XXVI.

Absque tropo nomen istud assignatur tertiæ personæ Trinitatis, quæ peculiariter dicitur SPIRITUS, à proprietate sua personali, quæ est, quòd à PATRE & FILIO, tanquam utriusq; *πρόσβολέ* spiraculum & flatus indissolubilis, ex incorporali DEITATIS illorum ore spiretur, & ita spirando procedat.

XXVII.

Qua de causa quoque nominari solet *Spiraculum Omnipotentis*, *Iob. 33, 4.* A Iustino Martyre dicitur ἀπόρροια τῆς θεῆς.

XXVIII.

Usitatè additur epitheton *Sanctus*, ut. *Psal. 51, 14. Matth. 1, 18, 20. Matth. 3, 11. cap. 28, 18. Marc. 1, 8. cap. 3, 29. cap. 13, 1. Iohan. 14, 26. Heb. 1, 2, 5, 8, 16.*

XXIX.

Sanctus autem est SPIRITUS Sanctus *non παθητικός*, & *sanctitate accidentali*, qua Angeli sancti Spiritus sunt & dicuntur: sed *ενεργητικός* & *sanctitate essentiali*.

XXX.

Cujus gratià non tam Sanctus appellatur: quàm Sanctitas vel Sanctificatio, aut Sanctificator.

1. Thes. 4, 3. Ezech. 37, 8, 26, 28.

XXXI.

Definitur in scholis, quòd sit *Tertia persona Divinitatis*, à PATRE & FILIO ab aeterno procedens.

XXXII.

In qua definitione potissimùm attendendus *τρόπος τῆς ὑποστάσεως* vel *ιδίωμα χαρακτηριστικόν*, ἢ *ὑποστατικόν*, quo à PATRE & FILIO distinguitur. Id verò

XXXIII.

Id verò est τὸ ἐκπορεύεσθαι. Hoc enim verbo **CHRISTUS** utitur ad personalem **SPIRITUS SANCTI** proprietatem designandam.

Iohan. 16, 1.

XXXIV.

Est autem ἐκπόρευσις seu processio, non recessus quidam ex reliquarum personarum Deitate: sed est communicatio Divinæ essentiæ, qua sola tertia persona Divinitatis, à **PATRE & FILIO** eandem totam & integram accipiendo, ab utroque persona distincta existit, & interim tamen essentialiter, περιχωρήσας quadam ineffabili, in **PATRE FILIO** que manet.

XXXV.

Nam, ut *Iustinus (f) Martyr* scitè ait: ὡσπερ ὁ υἱὸς ἐκ τῆς Πατρὸς. ἔτω καὶ τὸ Πνεῦμα, πλήν γε τῶν τριῶν τῆς ὑπαρξέως διοίσεως. Ὁ μὲν γὰρ Φῶς ἐκ Φωτὸς γεννητῶς ἐξέλαμψε. τὸ δὲ Φῶς μὲν ἐκ Φωτὸς καὶ αὐτὸ. ἔ μὴν γεννητῶς· ἀλλ' ἐκπορευτῶς.

(f) In ἐκδέσει πίστεως.

XXXVI.

Non igitur procedit **SPIRITUS SANCTUS** à **PATRE & FILIO**, ut accidens ex subiecto (non enim accidens est, sed substantia) nec ut substantia finita, ex substantia finita. Æque enim ut **PATER & FILIUS**, est (g) immensus: sed per communicationem ejusdem essentiæ.

(g) Psalm. 139, 7. Sap. 1, 7.

XXXVII.

Hactenus θεωρία τῶν ὀνομάτων: jam ad θεωρίαν ipsius τῆς πράξεως.

CAPUT

CAPUT II.

De Statu Controversiæ.

XXXVIII.

Statu controversiæ summa comprehensa est in Proble-
mate vestibulo Theleøn præfixo, *An videlicet SPIRITVS
SANCTVS sit persona per se subsistens eaq; distincta, & aequè ut
PATER & FILIVS verè & essentialiter DEVS.*

XXXIX.

Nos ζητηµένῃ istius partem affirmativam ὁλοψύχως crea-
dimus, summaque devotione veneramur.

XL.

Et proinde docemus & profitemur apertissimè 1. *Thesis veræ
sententiæ.*
SPIRITUM SANCTUM non esse motum duntaxat
spiritualem vel Divinum, in cordibus nostris creatum: Sed
personam verè αὐτοπόσατον καὶ ἰδιούσατον, & à Patris & Filij
hypostasi distinctam.

XLI.

2. *Thesis veræ
sententiæ.*
Eamque non creatam: Sed Creatorem omnium
rerum, adeoque PATRI & FILIO undiquaque, quâ es-
sentiam, quâ aternitatem, quâ gloriam, æqualem.

XLII.

*Antithesis
falsæ opini-
onis.*
Contrarium tenent & tucntur heretici, qui uno com-
muni nomine dicuntur πνευματομάχοι.

XLIII.

Quorum duo potissimum exercitus. Alter complectitur
Veteres, alter recentes.

XLIV.

Veteres vicissim distribui possunt in duos ordines, quo-
rum 1. fuit τῶν ἀνωπυσάτων. 2. τῶν ἐπεργσιῶν. *Πνευματο-
μάχοι Ve-
teres.*

B

ΑΥΥΠ

XLV.

i. Ordo eorum.

1. *Αὐτομάται* dicti sunt, qui ipsam SPIRITUS SANCTI *ἑνέργειαν* Divinam infectati sunt.

XLVI.

Quorum *ἑξάρχων* maxime princeps fuit (b) *Paulus Samosatenus*, qui dixit, SPIRITUM SANCTUM nihil aliud esse, quam *ἐνέργειαν αὐτομάτων* creatam in cordibus electorum.

(b) *Cent. Magd. 3. fol. 108. 109.*

XLVII.

Ad eundem ordinem referendi sunt (i) *Photinus* & *Marcellus*, qui concedebant voce Spiritus Sancti personam *αὐτομάτων* quidem denotari, sed eam, non esse alienam, à PATRE, personam, Sabellij more, dictitabant.

(i) *Basil. epist 74.*

XLVIII.

Imò inventi etiam sunt, qui dixerunt, Spiritum τὸ δῆμιον esse ipsum CHRISTUM, ut testatur *Irenaeus lib. 3. contra errores Val. cap. 10. & 19.*

XLIX.

ii. Ordo.

II. Ordini *ἐπιπροσώπων* accensentur: 1. *Simon Magus*, *Cerdon* & *Manes*, qui se ipsos pro SPIRITU SANCTO venditarunt.

Quem furorem Patrum nostrorum memorià, denuò furere cepit *auriga* quidam, de quo in theatro *Zuingeri*,

tom. 4. fol. lib 4. pag. 1528.

LI.

2. *Helcesaita* in Arabia orti Anno Christi 251, qui alia inter deliria & hoc delitarunt, SPIRITUM vid: sanctum esse sororem CHRISTI.

Plat. in Fab.

Eusebius lib. 6. cap. 38. Hist. Magd. Cent. 3. pag. 92.

3. *Arius.*

LII.

3. Arius cum sua secta *Χριστοσυεῖ*, quorum alij negabant æternam SPIRITUS SANCTI Deitatem, cumque *υἱομα τῶ υἱοματῶ* (FILII videlicet) contumeliosè appellabant. Alij verò eum duntaxat pro dono & virtute DEI habebant. Cent. 4. Magd. f. 319. 320. 321. 322.

LIII.

4. Macedoniani, qui tenferunt SPIRITUM SANCTUM cum PATRE & FILIO nihil habere commune: sed *servum & ministrum*, non DEUM: sed creaturam esse, secundum Arianos. Unde etiam cognominati fuerunt Semiariani. Cent. 4. Magd. f. 362. 363. 364. 365.

LIV.

Πνευματόμαχοι recentes subdividi possunt in primum, & à primo ortos.

LV.

Primus, qui nostro seculo Samosatensi delirium, ex Orco in Ecclesiam revocavit, fuit *Michaël Servetus*, sic enim expressè scribit:

l. 1. de Trin. pag. 28. SPIRITUM SANCTUM non rem aliquam separatam: sed DEI agitationem quandam, seu inspirationem Virtutis DEI designari dicimus.

LVI.

A primo hoc orti iterum in duplici sunt differentia. Quidam superioribus annis Ecclesiam turbarunt: Quidam hoc tempore eandem miserrimè turbant.

LVII.

Annis superioribus Ecclesiam turbarunt, Valentinus Gentilis, Georgius Blandrata, Matthæus Gribaldus, Paulus Alciatus, Iohanes Sylvanus, Adamus Neuserus, Gregorius Pauli, Franciscus Davidis, Ochinus, Lælius, Socinus, Sommerus & alij. Leg. cap. 23. part. 1. cent. 16. Osiand.

B 2

Quorum

Πνευματόμαχοι recentes,

LVIII.

Quorum hic postremus non veretur scriptitare:
SPIRITUM SANCTUM DEVM esse, & distinctam
 esse à *PATRE* ἁπόστασιν negamus, cum universa
 Scriptura: esse autem illum motum tantum in animis ex-
 citatum, non dicimus: Sed fatemur, esse occultam vim
 & ἐνεργῆσαι *DEI*, quæ nos in vitam aeternam regenerat.

Contra Carolin. pag. 167.

LIX.

His meritò accensemus *Calvinum*, ejusque affectas,
 propter ἑρεβλάς καὶ παρερμηνείας multiples, quibus hostibus
 Divinitatis *SPIRITUS SANCTI* viam muniri, & ar-
 ma suppeditari, ab Orthodoxis rectè statuitur & ostenditur,
 maximè autem à *D. Hunnio* in *Calvino* Judaizante, & in *An-
 tiparæo* utroque.

LX.

Hoc tempore ἀθεϊσμὸν suū in Ecclesiam invehere co-
 nantur emissarij quidam *Sathanæ* in Polonia, *Christophorus
 Ostorodus* & *Valentinus Smalzius* *Rackoviensis* Ecclesiæ lu-
 pus, eorumque complices.

LXI.

Hi enim idem docent, quod eorum Antecessores. A-
 gnoscunt enim *SPIRITUM SANCTUM* duntaxat pro
 virtute & efficacia *DEI*, eumque disertè, atque ad literam
 (ut dicitur) in Scriptura *DEVM* appellari pernegant.

Catech. Rack. f. 37, 38, 41, 43, 44, 46.

LXII.

Et hætenus quidem de secundo etiam capite, quod
 jam excipit tertium, in quo veritas & certitudo doctrinæ no-
 stræ de aeternâ Deitate *SPIRITUS SANCTI* solidis
 Scripturæ fundamentis astruenda.

CAPUT

CAPUT III.

In quo fundamenta veræ doctrinæ
proferuntur.

LXIII.

Duo nobis de hoc Fidei ac religionis nostræ capite præ-
cipuo, demonstranda sunt:

LXIV.

1. Quod SPIRITUS SANCTUS non sit motus
aut efficacia (θεόσυτος) Divina: sed persona αὐτοπόσατος καὶ
ιδιοσύσατος, id est, per se verè subsistens, eaque à PATRE
& FILIO realiter distincta, idque contra πνευματομάχας
αὐτοπόσατους.

LXV.

2. Quod idem sit suis προσβολεῦσι PATRI & FILIO
undiquaque ὁμοῦστος συναΐδιος καὶ ἰσότης. Et hoc contra
πνευματομάχας ἐπερσίστας.

LXVI.

In priori iterum duo adtruenda sunt: 1. est, quod SPI-
RITUS SANCTUS sit persona αὐτοπόσατος καὶ ιδιοσύ-
σατος. 2. Quod hæc ipsa persona à persona Patris & FILII
verè ac realiter sit distincta.

I. De SPI-
RITUS san-
cti existen-
tia.

LXVII.

I. Quod SPIRITUS SANCTUS sit persona αὐ-
τοπόσατος καὶ ιδιοσύσατος demonstrari potest: 1. ex proprijs per-
sona attributis, ut sunt: 1. τὸ εἰναι ἰσότητος. 2. τὸ εἶναι ἰσότητος. 3. τὸ εἶναι ἰσότητος.
qui. His enim potissimum persona definitur.

1. Quòd Spi-
ritus Sanctus
sit persona
4. rationibus
confirma-
tur.

LXVIII.

De vi & actu intelligendi hæc scripturæ effata testantur:

Es. 11. dicitur SPIRITVS intelligentiæ & sapientiæ.

Eph. 1. SPIRITVS cognitionis & revelationis.

B 3

1. Cor. 2.



1. Cor. 2. inquit Apostolus: SPIRITVS DOMINI scruta-
tatur omnia, etiam profunditates DEI.

LXIX.

Voluntas verò eidem assignatur:

Ioh. 3. SPIRITVS, ubi VULT, spirat.

Act. 15. PLACUIT SPIRITVI SANCTO & no-
bis.

1. Cor. 12. SPIRITVS dividit unicuique donorum cer-
tam mensuram, pro ut VULT.

LXX.

Loquela ejus testimonium perhibetur:

Act. 13, 2. 2. Sam. 23, 2.

LXXI.

Et in Symbolo Niceno dicitur: Et LOCUTUS est
per Prophetas ex 2. Pet. 1, 21.

LXXII.

2. Idem ὁ φθελμοφανὴς patet ex apparitionibus SPIRI-
TUS SANCTI, qualis fuit θεοφάνεια illa admodum illu-
stris, qua SPIRITUS SANCTUS in specie colum-
bæ super CHRISTUM descendit, Matth. 3. Ioh. 1.

LXXIII.

Die Pentecostes verò intedit Apostolis in specie δια-
μερίζομένων γλωσσῶν ὡσεὶ πυρός. Act. 2, 3.

LXXIV.

3. Ἀποδοσια SPIRITUS Sancti probatur ex ejus-
dem operationibus, ut sunt, quòd (b) regenerat, (c) vivificat,
(d) docet & (e) sanctificat. &c.

(b) Ioh. 3, 5. (c) cap. 6, 63. (d) c. 14, 26. 26. cap. 16, 13.

(e) 1. Thes. 4, 3.

LXXV.

Itemque quòd (f) inhabitat in hominibus, quòd (g) pro-
renatis

renatis orat gemitibus inenarrabilibus, (h) quòd varia homi-
nibus dat dona &c.

(f) 1. Cor. 6, 19. (g) Rom. 8, 26. (h) 1. Cor. 12, 11.

LXXVI.

4. Videtur hoc etiam insinuare personam SPIRITUS
S A N C T I, quod Moses de eo loquitur per *participium*
Benoni:

רוח אלהים מרחפת עלי פני פנים :

Et SPIRITUS DEI agitans vel incubans aut agitator
vel incubator super faciem aquæ. Gen. 1.

LXXVII.

Ceterùm quòd SPIRITUS S A N C T U S non modò 2. Quòd
sit persona per se subsistens : sed quoque distincta persona à SPIRITUS
personâ PATRIS & FILII apertissimè evincunt. 1. manife- SANCTUS
sta ejusdem *apparitio*. 2. religiosa *CHRISTI assertio*. fit persona
3. *Inviçta ex ore ejusdem ratio*. 4. *Symboli Athanasij con-* à PATRE &
sensus. *FILIO* di-
stincta iti-

LXXVIII.

1. *Apparitio* enim planè est distincta quoad speciem vel rationibus
signum exhibitivum à P A T R E & F I L I O. *Matth. 3.* probatur.

LXXIX.

2. *Assertio CHRISTI* clarissima extat. *Iohan. 14.* E-
GO rogabo P A T R E M & A L I U M Paraclerum dabit
vobis.

LXXX.

3. *Ratio ex ore CHRISTI* deprompta hæc est : Qui
procedit, mittitur, effunditur, est persona distincta ab ijs, à qui-
bus procedit, mittitur & effunditur. Sed *SPIRITVS SAN-*
CTVS procedit, mittitur & effunditur à P A T R E & F I -
L I O. Ergo. LXXXI.

Major sua luce radiat. Assumptionem confirmant hæc
CHRISTI oracula.

Iohan.

Joh. 15. Cum venerit Paracletus, quem **MITTAM**
vobis à **PATRE**, **SPIRITVS** Veritatis, qui à **PATRE**
PROCEDIT.

Es. 44. **EFFVNDAM SPIRITVM** meum super
semen tuum.

Joel. 2. **EFFVNDAM** de **SPIRITV** meo super o-
mnem carnem.

LXXXII.

4. Consensus Athanasij hoc continetur aphorismo in
ipsius Symbolo:

ALIA est Persona **PATRIS**, **ALIA** **FILII**,
ALIA **SPIRITVS SANCTI.**

LXXXIII.

Atque hactenus argumenta producta sunt, quibus de-
monstratum, quod **SPIRITUS SANCTUS** sit perso-
na per se subsistens, eaque à **PATRE** & **FILIO** realiter
distincta contra *αἰνουςαίτες*: Consequens est, ut posteriori
jam loco demonstretur, quod sit verus & æternus **DEUS**
adeoque Patri & Filio *ὁμοούσιος Πνευματώχης Ἐτεροούσιος*.

LXXXIV.

II. De **SPI-** Et sanè sicut tria *γενήτων* genera summa & primaria,
RITUS è quibus in disputatione ab hac secundâ, pro asserendâ æternâ
SANCTI FILII DEI Divinitate, Demonstrationes immotas extrus-
ὁμοούσιος & ximus: ita quoque ex iisdem æternam. **SPIRITUS SAN-**
Deitate æ- **CTI** æternitatem ejusque cum **PATRE** & **FILIO** *ὁμο-*
terna, quæ *ούσιος ἀναλλήτως* astruemus.
demonstra-
tur.

LXXXV.

Ac 1. quidem ex nomine **IEHOVA** vel **DOMI-**
NUS. 2. ex proprietatibus divinis. 3. ex divinis operi-
bus.

LXXXVI.

I. Ex nomi-
ne **DOMI-**
NUS vel
IEHOVA,

1. Ex nomine **DOMINUS** vel **IEHOVA** sic argu-
mentamur:

Vnus

Unus est DOMINVS 1. Cor. 8, 6.

*SPIRITVS est DOMINVS 1. Cor. 11, 5. 2. Cor. 3, 17. 1. Ex nomi-
Ergo est unicuique ille verus DOMINVS vel IEHOVA, ne DOMI-
NUS vel IE-*

LXXXVII.

Atque ideo quoque in Synodo Constantinopolitana,
ad Symbolum Nicenum, cuius finis antea fuerat: Et in SPI-
RITUM SANCTUM: contra Macedonianos, additum
fuit, DOMINUM.

LXXXVIII.

Et ne subdola interpretatione nomen illud apud pos-
teros eluderetur, adhuc superadditum fuit: & *vivifican-*
tem, ex Iob. 6, 63. & 2. Cor. 3, 6.

LXXXIX.

Tribuitur nomen DEUS vel DOMINUS & alibi
in Scriptura SPIRITUI SANCTO, idque vel *explici-*
te vel implicite.

XC.

*Explicitè: Act. 5, 3. 2. Cor. 6, 16. 1. Cor. 6, 19. & 20.
cap. 12, 4. & 6.*

XCI.

*Implicitè, & ita tamen ut per allegationem in Novo
Testamento, vel ex collatione Scripturarum in Novo vel
Veteri Testamento facile possit elici.*

In U. T. Exod. 4, 12. Num. 12, 6. 1. Sam. 23, 2.

*In N. T. Matth. 10, 9, 10. 2. Pet. 1, 21. 1. Cor. 2, 16. Esa.
40, 13. Es. 6, 10. Act. 28, 23. Psalm. 95, 9. Heb. 3, 7.*

XCII.

2. *Ex proprietatibus Divinis, quæ secundum genus κρι- 2. Ex pro-*
τητων æternæ DEITATIS, & ὁμοσιας SPIRITUS proprietatibus
SANCTI constituunt, hunc καθολικὸν extruimus Syll- Divinis.
gismum:

*Cuicunque assignantur verè ac propriè proprietates soli DEO
competentes,*

C

competentes, is verus cum PATRE & FILIO DEVS
sit necessum est. Atqui SPIRITUI Sancto assignantur
verè ac propriè proprietates soli DEO competentes.

Ergo.

XCIII.

Minor probatur ac declaratur τῆ ἐπιγωγῇ proprietatum
Divinarum, quæ SPIRITUI SANCTO in Scriptura
tribuuntur, quales sunt: 1. *Æternitas*. 2. *Omnipotentia*. 3. *In-*
finita Sapiencia & Omniscientia. 4. *Omnipresentia*. 5. *Per-*
fecta Sanctitas. Hasce singulas jam ordine è Scripturâ eru-
emus & solidis ejusdem fundamentis munemus.

XCIV.

1. *Æternitas SPIRITUS SANCTI* in Scriptura
habetur: 1. ῥητῶς apud *Hebræos cap. 9, 14.* ubi expressè dici-
tur Πνεῦμα αἰώνιον SPIRITUS *ÆTERNUS*.

XCV.

2. Eadem συλλογιστικῶς, id est, bona consequentia ita in-
dè inferri potest: Cujus προβολῆς vel Spiratores æterni: eo-
rum quoq; πρῶδλημας vel Spiraculum æternum sit necesse est.

Sed προβολῆς SPIRITUS SANCTI, à quibus spiratur
& procedit, PATER videlicet & FILIUS, sunt æterni.

Ergo.

XCVI.

Ratio τῆς ἀκολουθίας in copulato ex hoc Prosyllogismo
evidentissimè liquet. Si enim SPIRITUS SANCTUS
non spiraretur, aut procederet ab æterno ex PATRE & FI-
LIO: sed cepisset in tempore spirari, tum sequeretur, P A-
TREM & FILIUM in tempore notabilem subiisse mu-
tationem. Sed talis mutatio in DEO locum habet mini-
mè. *Malach. 3, 6. Iacob. 1, 17.*

Ergo.

XCVII.

2. De *Omnipotentia SPIRITUS SANCTI* legun-
tur hæc

tur hæc dicta *Ἰερόνυμος*: Sap. 7. Est in Sapiencia SPIRITUS
OMNIPOTENS.

1. Cor. 12. OMNIA hæc efficit unus ille & idem SPIRITUS.

Et hinc quoque prædicatur SPIRITUS (1) roboris & fortitudinis.

(1) Esa. 11, 2. 2. Tim. 1, 7.

XCVIII.

3. Infinita Sapiencia, atque Omniscientia, eidem tribuitur.

1. Cor. 2, 10. Iohan. 14, 26.

XCIX.

4. De Omnipresencia, & immensitate ejus loquitur

Psalm. 131, 7. Sap. 1, 7.

C.

5. Propter perfectam Sanctitatem, dicitur Sanctus.

Psalm. 51, 13. Luc. 12, 12. Act. 5, 3. 1. Cor. 3, 16.

CI.

III. Opera SPIRITUS SANCTI Divina, quæ tertium *ἁγιοῦ* genus Deitatis ejusdem constituunt, sunt duplicia: Interna & externa.

III.
Genus *ἁγιοῦ*
ex operibus
Divinis.

CII.

Internum ejus opus est, quod à PATRE & FILIO ab æterno procedit. E quo hanc *ἁγιοῦ* educimus:

Quicumque essentia PATRIS FILIIq; essentia procedit, is nullo modo potest annumerari creaturis: Sed est ejusdem nature cum PATRE & FILIO, adeoq; æquè ut illi DEUS verus & æternus.

Sed verum est prius. Ergo.

CIII.

Quid enim est in DEO *ἁγιοῦ*? Nihil omnino: sed meritum & sincerum *ἁγιοῦ*.

CIV.

Major est autem *ἁγιοῦ* *ἁγιοῦ*. Pro illustratione

C 2

minoris

minoris adducimus axioma Apostoli summi ponderis & momenti, in quo SPIRITUS SANCTUS dicitur SPIRITUS ex DEO.

1. Corinth. 2.

CV.

Opera SPIRITVS SANCTI externa, vel sunt Ordinaria, vel sunt extraordinaria.

CVI.

Ordinaria in triplici vicissim sunt differentia. 1. Quaedam enim pertinent ad primum Symboli Apostolici articulum. 2. Quaedam ad secundum. 3. Quaedam ad tertium.

CVII.

Ad primum Symboli Apostolici articulum pertinet: Omnium rerum creatio ac conservatio, de qua Gen. 1. SPIRITVS DOMINI (רוח אלהים) ferebatur super aquas. Psal. 33, 6. Verbo DOMINI caeli firmati sunt, & SPIRITVS oris ejus omnis exercitus eorum.

Iob. 33, 4. SPIRITVS DEI fecit me, & SPIRACVLVM omnipotentis vivificavit me.

Psalm. 104, 30. Emitte SPIRITVM tuum, & CREABVNTVR, renovabisq; faciem terra.

CVIII.

Ad secundum Symboli articulum pertinet opus conceptionis CHRISTI, ad quod perficiendum, suum quoque Πνεύμαον μέγαν contulit SPIRITVS SANCTVS, teste Angelo Luc. 1.

SPIRITVS SANCTVS veniet super te, &c.

CIX.

Atque hinc est, quod in Symbolo profiteamur CHRISTVM conceptum esse à SPIRITU SANCTO. Et (ut hoc ὡς ἐν παροῶ ἢ παρεδρομῇ obiter inspergatur) tria sanè SPIRITUS SANCTVS, in conceptione CHRISTI, peculiari quadam actione, operatus est & effecit. 1. Ut

CX.

1. Ut præter naturæ ordinem vel rerum seriem, ἀπὸ τοῦ ἁπλοῦς καὶ ἀφ' ἑαυτοῦ, sicut *Damascenus* loquitur, Maria ἀνεπαγγελῆ-
το factum conceperit.

lib. 1. Orthod. Fid. cap. 2.

CXI.

2. Ut massa illa incarnationis FILII DEI fuerit sanctificata, & à peccato separata & emundata, ut quod ex Mariâ natum extiterit sanctum ab utero.

CXII.

3. Ut, præter & contra omnem naturam, fieri potuerit Unio Divinitatis & Humanitatis in unam personam CHRISTI.

CXIII.

Ad tertium articulum pertinent, 1. Quòd ejus quoque in nomine baptizamur, vi institutionis CHRISTI. *Matth. 28.*

Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine PATRIS & FILII & SPIRITVS SANCTI.

CXIV.

2. Regeneratio & Renovatio, de qua *Iohan. 3, 5. Tit. 2, 14.*

CXV.

3. Ministerij Ecclesiastici gubernatio; quò referenda subsequencia Scripturæ loca. *Act. 16.* ubi vetat, certo quodam consilio, divina cum potestate, sermonem loqui in Asia & Bithynia.

Act. 13. Vbi imperat segregari sibi Barnabam & Paulum ad ministerium.

Act. 15. Vbi decretum Apostolica Synodi apertè refertur ad SPIRITVM SANCTVM.

Act. 20. Afferit Apostolus Ephesinae ac Miletea Ecclesie Presbyteros à SPIRITV SANCTO positos esse ad pascendum Ecclesiam.

CXVI.

Extraordinaria SPIRITVS SANCTI opera sunt e-
jus miracula, ut sunt potissimum.

1. Miraculosa omnium linguarum, quæ sub cælo sunt, A-
postolis facta collatio. Act. 2.
2. Quod CHRISTVM egit in desertum. Matth. 4.
3. Quod post consummatam tentationem ipsum reduxit in
Galileam. Luc. 4.

CXVII.

Facit & huc, quod CHRISTUS ipse affirmat, se
SPIRITU DEI ejicere dæmonia. Matth. 12.

CXVIII.

Et quod rerum futurarum prædictio eidem luculen-
ter assignatur.

Joh. 16, 13. Act. 1, 16. & 21, 11. Eph. 3, 5. 1. Tim. 4, 1.
1. Pet. 1, 12. 2. Pet. 1, 21.

CXIX.

Atque hæc sanè sunt tria fundamentorum vel κρηπίδων
genera pro stabiliendâ æternâ Deitate, atque ὁμοσιᾶ SPI-
RITUS SANCTI, quæ ad Fidei confirmationem nobis
sufficiant.

CXX.

Etsi enim in Novo Testamento Divinitas FILII DEI
pluribus & clarioribus testimonijs indicatur, quàm SPIR-
ITUS SANCTI, idque propter exinanitionem illius, quæ Fi-
des facile potuisset offendi, nisi tot tamque illustribus confir-
mata esset testimonijs: Tamen SPIRITUS SAN-
CTUS suam Divinitatem æternam adeò non reliquit ἀπάρα-
τος, ut quotidie testificetur de se & de FILIO ac PA-
TRE.

CXXI.

Idque in gubernatione Ecclesiæ: In exercitijs pijs pre-
cum,

eum, Fidei, spei, patientiæ, itemq; in motibus Sanctis, quos in cordibus fidelium accendit.

CXXII.

Hanc testificationem ne negligamus: sed piè consideremus: Nec dubium, quin & hac consideratione in Fide firmiores ac stabiliores simus futuri.

CAPUT IV.

In quo pugnatur adversus adversarios

Πνευματομάχης.

CXXIII.

Iam stringenda sunt tela in Πνευματομάχης, qui in hoc omnes ἐνοχμαδόν consentiunt, quòd æternam SPIRITUS SANCTI Deitatem uno ore negent.

CXXIV.

Hoc verò quod sit impium, absurdum, omnibusque diis execrandum, tribus ostendemus argumentis primarijs & summis.

Tria Argumenta primaria contra Πνευματομάχης.

CXXV.

I. est: Quicquid κρηγίους, quibus vera & æterna Deitas SPIRITUS SANCTI hætenus solidissimè fuit demonstrata, singulis & universis adversa fronte repugnat: illud impium est, absurdum est, omnibus Diis execrandum est.

I. Argumentum.

Atqui talis est blasphemia τῶν πνευματομάχων.

Ergo.

CXXVI.

Assumptionis Veritas & certitudo constat ex capite hujus disputationis tertio, nec ulla amplius indiget probatione.

II. Quic-

CXXVII.

II. Quicquid fundamentum præcipuorum Religionis Christianæ articuloꝝ evertit: id impium est, absurdum, & omnibus Diris execrandum.

Sed talis est blasphemia τῶν Πνευματομάχων. Ergo.

CXXVIII.

Minor confirmatur ἐπιφανισμῶσιν καὶ ἐπαγωγῇ aliquot articuloꝝ Fidei, ut sunt: 1. de *Baptismo*. 2. de *Fide*. 3. de *Invocatione*. 4. de *gubernatione Ecclesie*. E singulis producemus Prosyllogismos pro astruenda minore καὶ συλλογισμῶσιν jam propositi.

CXXIX.

1. Ex articulo de *Baptismo*: si SPIRITUS SANCTUS non est verus & essentialis DEUS cum PATRE & FILIO: tum sequitur, quod non rectè baptizemur, æquè in nomine SPIRITUS, ut in nomine PATRIS & FILII. Sed consequens est institutioni CHRISTI κατὰ δόξαν contrarium. Ergo.

CXXX.

Assumptum roboratur axioma CHRISTI κατὰ κληρῶν *Matth. 28, 9.*

Euntes docete omnes gentes, & baptizate eos in nomine PATRIS, FILII & SPIRITUS SANCTI.

CXXXI.

Et hæc quoque causa est, cur Arianorum & assecularum eorum baptismus improbetur, rejiciatur, damnetur. Baptizant enim in solo PATRE vero DEO, & IESU CHRISTO Salvatore & creatura, & SPIRITU SANCTO utriusque seruo.

teste Hier: contra Lucif. & Athan. Serm: 3. contra Arian.

CXXXII.

Et D.

Et Damascenus non minus verè, quàm rotundè pronuntiavit, ὅτι μὴ εἰς τὴν ἀγίαν τεράδα ἐβαπτίσθησαν. Ἰὲρὰς εἶναι οὐκαταπίλιν.

l. 4. Orthod. fidei cap. 5.

CXXXIII.

II. Ex articulo *de Fide*. Si SPIRITUS SANCTUS non est verus DEUS PATRI & FILIO ὁμοούσιος, συναϊδιος καὶ ἰσότημῳ, non rectè fit, quòd in ipsum Fidem nostram collocamus: Sed consequens adversatur Religioni nostræ veræ & sinceræ, & ob id meritò statuitur absurdum & impium. Ergo.

CXXXIV.

Absurditas consequentis liquet ex Symbolo Apostolico, in quo ingenuè & apertè confitemur: Credo in SPIRITUM SANCTUM. Itemque ex Symbolo Niceno, ubi eadem repetitur confessio.

CXXXV.

III. Ex articulo *de Invocatione*. Si SPIRITVS SANCTVS non est ὄντως καὶ ἑστῶδως verus DEUS, PATRIQUE & FILIO κατὰ πάντα ὁμοούσιος, συναϊδῶς καὶ ἰσότημῳ, non erit utique eodem adorationis cultu afficiendus.

Sed consequens sacris literis est contrarium.

Ergo.

CXXXVI.

Assumptum probatur ex dictis Scripturæ, quibus, quòd Invocatio ad SPIRITUM quoque SANCTUM dirigenda, fundatum est solidissimè, ut sunt:

CXXXVII.

1. Mandatum de Baptismo. *Matth. 28.*

Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine PATRIS, FILII & SPIRITVS SANCTI.

CXXXVIII.

Quid enim verba hæc sibi aliud volunt, quàm juxta in-

D

terpretas

terpretationem Theologorum receptissimam, Ego te ve-
rum DEUM PATREM, FILIUM & SPIRITUM
SANCTUM invoco &c.?

CXXXIX.

2. Eodem collimat (n) ἐν χη Apostolica: Gratia DO-
MINI IESU CHRISTI, & caritas DEI, & COM-
MUNICATIO SPIRITUS SANCTI sit cum vobis o-
mnibus, AMEN.

(n) 2. Corinth. 13.

CXL.

3. Τριπλῶς illud *Esaie 6.* SANCTUS, SANCTUS,
SANCTUS, non modò refertur ad PATREM & FI-
LIUM: sed quoque ad SPIRITUM SANCTUM,
attestantibus id non solùm (o) Rabinis: sed quoque (p) gen-
tilium Apostolo, qui historiam illam ad SPIRITUM
SANCTUM directè refert.

(o) Gal. 1. 2. cap. 1. (p) Act. 28, 25.

CXLI.

4. Huc accedit, quòd Paulus per nomen SPIRITUS
SANCTI (q) iuravit. Iurare autem est DEUM testem
ac vindicem invocare; Quòd item blasphemia in SPIRITUM
SANCTUM in expiabili reatu peccantes (r) constringit.

(q) Rom. 9, 1. (r) Matth. 12, 31.

CXLII.

IV. Ex articulo de gubernatione Ecclesia. Si SPIRI-
TUS SANCTUS non est verus DEUS, adeoque verè
omnipotens & omnipræsens, quomodo poterit Ecclesiam
per universum terrarum orbem hinc inde dispersam, & quasi
(s) διασπορᾷ quadam disseminatam, quomodo potest, in quâ,
SPIRITUS SANCTUS, qui (t) unus duntaxat, eandem
ubique efficaciter gubernare, (v) docendo & regendo, in
sanctis, singulis & universis (x) habitando?

(s) 1. Pet. 1, 1. (t) 1. Cor. 12, 11. Eph. 4, 4. (v) Iohan. 16.

(x) 1. Cor. 3, 16. cap. 6, 19. Es. 59, 21.

Hactenus

CXLIII.

Hactenus secundum argumentum palmarium & pri- III. Argu-
marium: sequitur tertium, quod tale est: mentum

*Que opinio in Synodus legitimis ex Scripturâ refutata & primar.
condemnata est, ea rectè falsa at que erronea judicatur.*

Sed talis est blasphemia τῶν Πνευματομάχων.

Ergo.

CXLIV.

Assumptio confirmatur autoritate secunde Synodi
Oecumenicæ; jussu Theodosij primi Imperatoris Constans-
tinopoli Anno Christi 381. celebratæ, in primis contra Πνευ-
ματομάχους, qui primo statim Synodi illius (2.) canone da-
mnati fuerunt.

(2.) *Ne rejicitor, reprobatorve fides trecentorum octodecim
Patrum, qui in Nicæa Bithyniæ convenerant: sed maneto
ea firma ac rata. Et extrema execratione atq; detestatione
damnator omnis heresis, perversave & impia opinio, praci-
puè Eunomianorum sive Anomæorum: item Arianorū
sive Eudoxianorum: item Semarianorum sive (NB)
Pneumatomachorum: item Sabellianorum, Marcellia-
norum, Photinianorum, Apollinarianorumque.*

Hist. Magd. cent. 4. cap. 9. pag. 848.

CXLV.

Qui canon repetitus, & quasi interpolatus fuit, in eo- Anno 30.
mitijs Augusta habitis verè augustis, quæque Synodis Oecu-
menicis meritò æquiparari ac annumerari debent ac possunt.

Art. 1. Confess. Aug. in antith.

*Damnant omnes hereses, contra hunc articulum exortas,
ut Manichæos, qui duo principia ponebant, Bonum & Ma-
lum. Item Valentinianos, Arianos, Eunomianos, Ma-
hometistas & omnes horum similes.*

*Damnant & Samolatenos, veteres & nestericos, qui,
cum unam tantum personam esse contendant de Verbo &*

D 2

SPIRI-

SPIRITV SANCTO astute & impiè rhetoricantur, quod non sint persona distincta, sed quod Verbum significet verbum vocale, & Spiritus motum in rebus creatum.

CXLVI.

Atque hæc quoque sunt argumenta *ἀνασπεναστικά καὶ ἀνιπθελικά*, è multis pauca, quibus jam in quinto Capite succedit, *λύσις τῶν σοφισμάτων.*

CAPUT V.

Vendicans sibi *ἀνάλυσιν σοφισμάτων.*

CXLVII.

Sophismata τῶν Πνευματομάχων sunt duplicia: 1. *ψευδογραφήματα.* 2. *κρησφύγετα.*

CXLVIII.

1. Ref. *ψευδογραφήματα* sunt Sophismata, quæ ex dictis Scripturæ ad palliandam suam opinionem malè detortis conforcinant.

CXLIX.

Ac 1. quòd SPIRITUS SANCTUS non sit verus & æternus DEUS extorquere conatur ex illo. *Johan. 7* Nondum erat SPIRITUS SANCTUS, quia *IESVS* nondum erat glorificatus.

CL.

R. Non loquitur CHRISTUS de SPIRITU SANCTO per se: sed de visibili ejus effusione, qua illum accepturi erant credentes in ipsum, (sicut verba immediatè præcedentia expressè sonant) die vid. Pentecostes, & postea in primâ Ecclesiæ Novi testamenti ætate.

CLI.

Eundem ad modum intelligendus est locus à multis haberi solitus *δυσσεμνήνευ*.

Act. 19, 2. & sequentibus.

2. Affe-

CLII.

2. Afferunt illud Amosi *cap. 4.* Ego **DOMINVS** formans montes & creans **SPIRITVM** (רוח)

CLIII.

Sed turpiter halucinantur ex ἀπορροια enormi, non considerata ὁμωνυμία, nominis רוּחַ, quod isthic nequaquam de **SPIRITU SANCTO** enunciatur: sed de vento, sicut ex ἐπαγωγῆ creaturarum reliquarum, quarum tum in præcedenti, tum in sequenti textu fit mentio, plusquam abundè constat.

CLIV.

Ac ideò quoque tam in veteri versione, quàm à Luthero redditum est, **Ventus Wind.**

CLV.

3. Ex dicto 2. *Corinth. 13, 13.* ita παραλογίζονται: Persona est incommunicabilis. Atqui Apostolus inquit, κοινεῖν **SPIRITUS SANCTI** sit cum omnibus vobis. Ergo non est persona.

CLVI.

R. Per distinctionem inter *communicationem essentialem*, qualis est inter Personas Sacrosanctæ Trinitatis, & inter *gratiosam SPIRITUS SANCTI inhabitationem*, & *charismatum ejus effusionem & largitionem*, de qua loco allegato.

CLVII.

4. Objicere quoque consueverunt *Symbolum Nicenum*. Cui nos adjungimus Synodum Constantinopolitanam, in qua τὸ ἐλλείπον Symboli Niceni fuit suppletum.

CLVIII.

Cetera ψευδογράφηματα facile solvi possunt distinctione inter *Personam*, *officium* & *dona SPIRITUS SANCTI*. Itemque inter *ejusdem processionem*, *ac missionem* & *participationem*.

CLIX.

Illa respicit **PATREM & FILIUM**: Hac nos ho-
mines.

CLX.

2. Refutat.

Κρησφύζα.

Κρησφύζα τῶν Πνευματομάχων hæc sunt notissimum:
1. Argumentum, quod ab effectis Divinis pro Deitate **SPI-
RITUS SANCTI** à nobis adducitur, eludere conantur
hoc cavillo, Tribuī vid. illa **SPIRITUI SANCTO**,
non ut Personæ Divinitatis: Sed quia *virtus & efficacia Dei.*

CLXI.

Sed responsio facilis est & expedita, ex ijs, quæ pro-
lata sunt superius, itemque ex augustissimo **CHRIS-
TI** enunciato, quo tam essentiam Divinam, quam
Personam **SPIRITUS SANCTI**, summa cum asseve-
ratione confirmat.

*Iohan. 15 Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vo-
bis à PATRE. &c.*

CLXII.

2. Argumentum ex articulo de Fide in **SPIRITVM
SANCTVM**, eo enervare allaborant, quod in *epist. ad Phil.
vers. 5.* laudatur fides ipsius in **DOMINVM IESVM &
Sanctos.**

CLXIII.

Sed committunt Sophistæ manifestam fallaciam di-
visionis, omittentes proximè præcedentem particulam *ἀνά-
πνυ.* Hac refertur ad τὸ *Sanctos*: & non Fides. Fides verò
ad **DOMINVM IESVM**, Id quod etiam Apostolus dis-
tinctè innuit distinctis præpositionibus *πρὸς & εἰς.*

CLXIV.

3. Idipsum Argumentum infringere student ex tertio
articulo Symboli Apostolici, quasi ibi quoque *in Ecclesiam*,
nos credere, profiteamur.

Verum

CLXV.

Verum de rebus distinctis distinctè ibi fieri sermonem, tam clarum est, quam Solis meridiani iubar.

CLXVI.

Dicitur quidem & rectè dicitur: *Credo in SPIRITUM SANCTUM*; Sed *Credo in Ecclesiam*, id *nusquam* dicitur, legitur, scribitur.

CLXVII.

Telum ex *Act. Apost. c. 5, 4.* de promptu avertere & evertere sudant hoc commento. Referrì nimirum illud ad *SPIRITUM SANCTUM* ratione *cætus* illius *DEI*, quem *SPIRITVS SANCTVS* gubernabat. Vel, quia *legatus DEI*.

CLXVIII.

O frivolum, o calumniosum sophisma, turpissima petitione principij desperatè laborans!

CLXIX.

Tantum de Quinto etiam Capite Et sic ad finem perduximus *αὐτάλησον* & hujus Problematis.

Epilogus Disputationis.

CLXX.

E qua analysi *συμπέρασμα* isthoc *καθολικὸν καὶ συλληπτικὸν* inferimus.

SPIRITVS SANCTVS est Persona verè subsistens, distincta tamen à *PATRE* & *FILIO*, nec non æquè, ut *PATER* & *FILIVS* verus & æternus *DEVS*.

CLXXI.

Porismata

Et ob id eodem cum *PATRE* & *FILIO* adorationis cultu afficiendus.

Inque

CLXXII.

Inque ipsum Fides collocanda firmiter, conceptâ spe
indubiâ ipsum in summa ἀκμῇ angustiarum, nobis ad fu-
turum παρακλητὸν, in operis ac operibus vocationis συνεργὸν,
in fide & vita ὁδηγόν.

CLXXIII.

Quod ut impetremus, serijs gemitibus ac suspirijs adji-
cimus εὐχὴν Davidicam:

Psalms. 143.

לְמַדְנִי לַעֲשׂוֹרָה רְצוֹנָה כִּי אֵתָה אֱלֹהֵי רוּחַ טוֹבָה
תִּנְחֵנִי בְּאֶרֶץ מִישׁוֹר׃

FLAMINIS in Sancti nomine FINIS adest.

Corrigenda.

th. 83. omissa est conjunctio contra.

th. 104. inserenda conjunctio igitur.



10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41
42
43
44
45
46
47
48
49
50
51
52
53
54
55
56
57
58
59
60
61
62
63
64
65
66
67
68
69
70
71
72
73
74
75
76
77
78
79
80
81
82
83
84
85
86
87
88
89
90
91
92
93
94
95
96
97
98
99
100


05 A 74

ULB Halle 3
003 762 483



107





8
7
6
5
4
3
2
1
19
18
17
16
15
14
13
12
11
10
9
8
7
6
5
4
3
2
1
Inches
Centimetres

B.I.G.

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

6

Ἐν τῷ Πνεύματι ἁγίῳ
Exercitationum Theologicarum
DISPUTATIO V.
Qua
Quartum Problema, idque
DE VERA ET ÆTER-
NA DEITATE SPIRITUS SANCTI,
truinâ SPIRITUS SANCTI pie
ac placidè ponderandum exhibetur,
Privato τῶν συνθεολογούντων Collegio in illustri Acade-
demia Vitebergensi
à
IOHANNE FÖRSTERO,
SS. Th. D. & Prof. Publ.
Autore & Preside,
Nec non à
M. IOHANNE SCHROTERO FREI-
burgensi Thuringo
Respondente
Ad 4. Septembris.
Iohan. 15. ὅταν δ' ἔλθῃ παρακλητος, ὃν ἐγὼ πέμψω ὑμῖν πα-
ρὰ τοῦ Πατρὸς τὸ Πνεῦμα τῆς ἀληθείας, ὃ παρὰ τὰ Πατέρας ἐκ-
πορεύεται, ἐκεῖνος μαρτυρήσῃ περὶ ἐμῆς.
W I T E B E R G Æ
Typis Cratonianis, per Joh. Gorman., Anno 1608.